

DISSERTATIONEM GRADUALEM

IN

Job. II: 9



Conf. Amplisf. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsf.

PRÆSIDE

Mag. GUSTAVO GADOLIN,

Lingg. Orient. & Gr. Prof. Reg. & Ord.

Publico examini submittit

ANDREAS JOHANN. RÖNNBÄCK,

Stip. Reg. Satacundensis.

In Audit. Majori die VIII. Junii MDCCCII,

Horis *p* m. confvetis.


ABOÆ, typis Frenckellianis.

VIRO
PLURIMUM REVERENDO
DOMINO
BARTHOLOMÆO RÖNNBÄCK,
Sacellano in Tavastkyro,
PATRI INDULGENTISSIMO,

In documentum pietatis, & animi, summorum beneficiorum æternum memoris, pagellas hæc consecrare voluit, debuit,

OPTIMO PARENTI

filius obedientissimus
ANDR. JOH. RÖNNBÄCK.



Industriae literis Hebraeis addiscendis impensae specimen aliquod edituris placuit nobis loco *Job. II: 9*, interpretum dissidiis vexato, illustrando operam nostram qualemcunque tribuere. Quem igitur laborem ita jam instituemus, ut praecipuis a se invicem diversis philologorum explicationibus recensitis, nostram sententiam, rationibus suis confirmatam, modeste in medium proferamus, eo confidentiores lectoris benevolentiae, quo certiores simus, ex hujusmodi juvenilium virium periculationibus vix quicquam, quod ad artium & scientiarum studia augenda insigniter faciat, sperari solere.

Notum est, id esse princeps libri, qui *Ijob* inscribitur, argumentum, ut quaeratur: utrum quae mortalibus contingant fausta & infausta, cum aequitate Dei conciliari possint, an minus? an valida factis adsint ad pietatem sectandam motiva? an prosperis semper utantur probi? Quid solatio esse queat pio, malis afflicto? Liceatne homini sua sorte non esse

esse contento? cet. His igitur de rebus in scenam producitur copiose cum amicis differens Jobus, vir pietatis & morum castitatis plane singularis, infortuniis & doloribus, quibuscum plurimis & maximis conflictaretur, ferme succumbens, homini religione & animo a vitiorum ac scelerum noxa immuni instructo adversa varia haud raro accidere, sed idem tamen pro Dei sapienti, humanæ menti sæpissime impervio, consilio, & salva ejus justitia ac bonitate fieri, acriter defendens. Ad quos pios Jobi sensus lectorum etiam animis indendos cum valde conferre videretur egregium ipsius exemplum, convenit eximie cum vatis sacri proposito eundem sibi fingere tot tantaque mala perpessum, quot & quanta humanæ vires ægre ferre valerent. Acerba igitur quævis & tristia, opum ac divitiarum jactura, liberorum clades, morbus gravissimus & supra modum foedus, ad fiduciam viri in Deo positam infringendam congesta. Quorum una velut impetum facientium magnitudine perturbata uxor neque ipsa mariti ærumnas allevavit doloresque minuit, eum sic alloocuta עַד מַחֲוִיק בְּתַמְתֵּךְ בֵּן אִתְּחַלְתִּי וְעוֹשֵׁי. Quæ mulieris verba, imprimis ultima illa, haud exiguum facessiverunt interpretibus negotium.

Aliis igitur visa est uxor *perseverantiam Jobi in vera pietate risisse*. Quin CODURCUS (a) *alia via*

(a) ad b. l. in *Criticorum Sacrorum T. II.*

via adoritur illum (Jobum) Satanas, inquit; conjugem ejus tantis malis victam & fatiscentem, doloribus immanibus accensam & irritatam, animat ut insurgat in virum (quod non modo vanam & irritam, sed damnosam etiam & exitialem religionem pertinaciter & superstitiose retineat: cujus periculum fecerit suo magno malo), de mariti religione ex præsentis statu pessime judicans stulta & impia mulier. Unde transferendum locum existimat: Et tu porro in integritate tua perstas? benedic Domino, & morieris, q. d. retine modo tuam religionem; ad mortem te ea brevi rapiet!

Ab his procul non distat Cl. ILGENIUS, a-
crem & acerbam indignantis orationem, ad sarcasum proxime accedentem, pronuntians esse eam, qua sic fere: lauda Deum & morieris, h. e. Teotisce, so preiße nur deinen Gott; du wirst doch endlich noch seine letzte Wohlthat, den Tod, erhalten! uxorem in maritum investam opinatur. Quem sequitur DATHIUS: Adhucdum retinebis integritatem tuam? lauda modo Deum, & morere, reddens. MERCERUS quoque amarulentam ironiam mulieris verbis inesse putat, vertendis scilicet: I nunc, & Deum collauda, etiam moriens!

Alii mulierem non risisse quidem, vel acriter reprehendisse, sed orationem tamen volunt ad impietatem & desperationem direxisse, sic fere: adhuc tamen permanes in simplicitate s. integritate tua? adhuc ad-

*hæres Deo? immo maledic Deo, ut morte libereris a gravissimis illis doloribus tuis, qui morte diriores sunt (b). Quibus respexisse eam nonnulli putant ad statutum legis, cujus vi occidendus erat, qui Deo maledixisset (c); alii ad jus vetustum quoddam consuetudinarium, quod jussisse fingunt capitis poena ut plecterentur blasphemiae in Deum rei, quia ante legem plurima in usû erant, quæ postea in leges relata sunt (d). Ceterum interpretationem hancce uxoris verborum, utpote quæ ad desperationem impiam mariti animo instillandam tendant, aliquatenus confirmare videtur Syrus, qui: *convitiare Deo & morere pro* $\text{רַב שׁוֹי מִיָּדָה}$ reddit, & LXX, qui: *μεχρι τινος καρτερησεις, λεγων, ιδου αναμενω χρονον επι μικρον, προσδεχομενος την ελπιδα της σωτηριας μου; (& interjectis haud paucis, quæ in Hebræo non reperiuntur) αλλα ειπον τι ρημα εις (vel προς) κυριον, και τελευτα, locum nostrum transferunt.**

Nonnulli (e) existimant mulierem, horrendum dictu! Jobum ad violentas manus ipsi sibi inferendas incitare voluisse, $\text{το σὺ δὲ ὡς ἡ γυναιξὶς ἐξ ἐπιθυμίας σου ἐξέστης ἐπὶ τὸν κύριον}$ ex comparatione cum opposito scil. suo $\text{τὸ σὺ δὲ ὡς ἡ γυναιξὶς ἐξ ἐπιθυμίας σου ἐξέστης ἐπὶ τὸν κύριον}$ (con-

ram

(b) CALOVIVS *Bibl. illust.*

(c) VATABLUS in *Criticorum Sacrorum T. II.*

(d) DRUSIVS *ibid.*

(e) v. c. DRESLER *Erläuterungen einiger Stellen des Bibl. Hoch.*

ram Deo ambulare, h. e. vita frui) illustrandum putantes, & hinc ultima loci nostri verba (vertenda: valedic Deo & morere) pro discede e vita (veluti e Dei conspectu), exime tibi vitam & mortem conscisce, sumentes.

Mitius alii uxoris verba exponunt, utpote quæ neque sarcastica, neque impia proprie s. mentem irreligiosam prodentia sint, sed ex animo femineo & imbecilli, adversis facile fracto & desperante, vel vulgarem de Deorum vi opinionem nondum profus respiciente profecta.

ALB. SCHULTENS igitur (f): *an adhuc retines integritatem tuam? valere jubeas Numen & morere,* eadem vertit, & hunc in modum παραφραζει: - - - *exsolvas te cura religiosa (intensissima), qua hætenus Deum tanquam virtutis remuneratorem & scele-*

A 3

runt

(f) *Comm. in Jobum.* Aliam idem *ibid.* profert explanationem, qua formulam sive vocem, inter parcos Numinis cultores (forsan) volitantem: qua religionis studium ut inutile, hi eluderent, geminam illi edamus bibamus, cras morimur; sepe a Jobo castigatam, jam ei objectasse tanquam nimis veram, quum ipse Numinis frustra culti triste jaceret documentum, putari debeat uxori. Sed gratis heic multa a viro meritissimo assumi, quis non vider? aliquanto durior quoque videtur ellipsis verborum in hac interpretatione agnoscenda, quam ut facile possit probari.

rum vindicem suspexisti, & suspiciendum omnibus inculcasti. Missa fac cuncta præcepta severæ pietatis, & nullum alium fructum virtutis tuæ expecta, quam ut brevi sub atrocibus hisce & ignominiosis plagis miserum spiritum exhales. Et JOH. FRIEDR. BAHRD: Hältest du noch fest an deinem Eifer in der Gottseligkeit? O gieb dem Gott, den du bisher angebetet hast, den Abschied, lass ihn fahren und stirb! - - Bequeme dich dazu, dich von ihm loss zu sagen, seiner Religion Abschied zu geben, und gieb dich drein, dass du sterben must. Atque J. D. MICHAËLIS: Bleibst du noch immer bey dem Dienste deines einzigen Gottes? Sage Gott gute Nacht, und stirb. Paullo aliter nova Svecana versio, regia auctoritate haud dudum edita: Häller tu tig ännu vid tin fromhet? vânta sej mer någon hjålp af Gud, utan dö. Et celebris noster TINGSTADIUS: Står tu ännu fast i tin fromhet? vânta ingen hjelp af Gud, utan dö.

Alii dubitantis de summi Dei (quem Jobus venerabatur) benignitate & auxilium ferendi potestate, ac contra liberationem ab imminente morte, si deum alium miseriis variis afflictus ille colendum eligeret, sperantis feminae verba sic explicanda putant: *Servasne, vel in tanta rerum calamitate, tuum erga Deum animum? aut valedic divino Numini (s. Deo tuo) aut mortem expecta, præmaturam scil., quam religioso alii deo dato cultu avertere possis (g)!*

Aliis

(g) HUFNAGEL in *Animadvv. ad loca quaedam Jobi*, de-

Aliis (h) mulier Jobum ad ευθανασίαν acta peccatorum pœnitentia sibi parandam! adhortata videtur, his fere verbis usa: Adhuc tibi de integritate tua gloriaris? Mitte vanam hanc jactationem! Deum, æquum rerum arbitrum & moderatorem agnosce & lauda, in primis qui jam es mortî proximus!

Alii (i) eandem mariti in religione ac pietate constantiæ admiratione plenam, sibi fingunt dicentem: *Adhuc tu tenes integritatem tuam benedicendo Deo & moriendo s. qui Deo benedicis* (eum collaudas), *tantum non moriens!*

E quibus diversis interpretationibus alias quidem aliis esse probabiliore, sed vix ullam suis non premi difficultatibus, fatendum. Nos paucis quæ ad locum illustrandum pertinere videantur, afferemus.

Primo igitur e responso Jobi, uxori dato, satis patere opinamur, hujus orationem ægre omni culpa liberari posse. Nam & is conjugem reprehendit, utpote quæ *stultarum s. religionem & pietatem susque deque habentium more locuta esset.* Et illa: *qui bona*
a Deo

nuo excusis in *Commentatt Theol editis a VULTHUSEN, KUINOEL & RUPERTII, Vol. IV. DOEDERLFIN Schol. in libb. vet. Test. poët.*

(b) BEZÆ, & SIXT. AMAMÆ in *Antibarb.*

(i) v. c. COCCEJUS ad b. l.

a Deo accipimus, annon mala etiam accipiemus? manifeste produnt, doloribus victum & prostratum fuisse mulieris animum. Indubium igitur est feminæ sermonem cum pii viri sensibus probe non convenisse. Verum nulla tamen adesse certa ratio videtur, cur eam nobis cogitemus vel integritatem mariti impie irridentem, vel ad *αυτοχειριαν* aut ad blasphemiam evomendam turpiter excitantem. Etenim flagitiosiora fere hæc sunt, quam quæ, necessitate non urgente, ei tribuamus.

Sed omnis quæstio nostra e verborum *ברך אתה יהוה* vi valde pendet. Quæ quidem de quadam *εὐλογία* f. divinarum laudum prædicatione sumenda non esse liquet, si modo, ut mox monuimus, mulier neque ad sarcasum spectaverit, neque animum ad excipiendam mortem pie componendum marito svaserit. Quare non possumus non cum iis consentire, qui malam aliquam significationem *τὸν ἑσθλὸν ἰσχυρὸν* tribuendam censent, eandem scil. quæ obtinet *Cap. I: 5, II, & II: 5*. His vero in locis phrasis illa ponitur non de conviciis in summum Numen; sed de neglectis, quæ dicere solemus, in Deum officiis, sive de missa, in primis diligentiore, religionis & pietatis cura. Sic *Cap. I: 5*. sacra instituisse dicitur Jobus, veritus, ne forte filii sui inter pocula, *Deum parum curantes*, qua ratione deliquissent (*וַיִּשְׁמַע יְהוָה בְּלַעַן בָּנָיו*). Et *v. II ac II: 5*. juramento confirmasse legitur Delator, futurum, ut Jobus palam Deum quasi

quasi *valere juberet* (אל פניך ירוך ע) h. e. defisteret a pietate, qua, largæ scil. renumerationis spe fretus, Deum profecutus erat. Quem igitur significatum etiam huicce loco competere eo nobis verisimilius est, quo certius *II: 9* videtur ad *I: II* & *II: 5* respicere, femina videl. idem viro svadente, quod eum facturum השטן asseveraverat.

Magni quoque momenti est explicatio vocabuli תמה; quod quidem *h. l.* ita sumi etiam posse, ut non veram integritatem, sed vanam de integritate sua persuasionem aut pietatis aliquam jactationem significet, haud est negandum: quo sensu prior sermonis feminei pars fere sit vertenda: *An adhuc pertinaciter defendis tuam integritatem s. te integrum esse contendis?* Verum huic interpretationi orationis nexus cum antecedentibus & sequentibus repugnat. Nam & Jobi verba mulieri reddita arguunt, eam ad εὐδανασίαν non spectasse. Et ex *Cap. II: 3*, ubi תמה animi & vitæ integritatem, non fucatam, non temere jactatam, sed comprobatam denotat, illustrandus eo magis est locus noster, quo luculentius e narrationis serie patet, comparanda inter se esse ambo hæc commata, eo scil. spectantibus omnibus Jobi (quas dicunt) tentationibus, ut exploraretur, eoqne etiam tendente muliere, ut quæreret, utrum firmiter in pietate sua, vel maximis doloribus afflictus, esset constans, an eam desereret cruciatibus succumbens?

Maxima etiam difficultas inest particulæ ׀ in vocabulo composito ומה SCHULTENSIUS ita suum & morere intellectum vult, ut id inferat necessitatem moriendi in isthoc statu, absque spe emergendi ex miseria illa. Sed ut is eliceretur sensus, fere debuit non ומה, sed כי תמות, legi. Neque notio adversativa hic τω ׀ adscribi e nostro iudicio commode potest; nam το מות τω ׀ אלהיך non bene opponitur (k). Neque forsân disjunctive h. l. explicari debet το ׀; non modo quod minus frequens hæc est ejus vis (l): nam prorsus inusitatam dicere eam haud audemus (m). Sed si vel existimes ומה positum esse pro aut morere, sive loco του המות לא ומה (quod si non Deo valedixeris, morieris), uxor tamen, monitura alterum marito esse eligendum, vel ut moreretur, vel ut summo numini renuntiaret & auxilium alius s. aliorum Deorum

- (k) Nisi utriusque vim aliquanto detorquens, hoc de restitutione in vitam & pristinam felicitatem a Deo non speranda, illud non *mori simpliciter, sed lubenter mori s. morti a Deo destinata se pie (non invitum) subicere*, interpretari volueris: quod fecisse videntur, qui Svecice, *vanta ingen hjelp af Gud, utan dö*, transtulerunt.
- (l) Claro exemplo eam probari vix posse affirmant DATHIUS, & BAUER in Schol. ad b. l.
- (m) Ad eam probandam HUFNAGEL l. c. provocat locum Deut. XVII: 9, ubi ואל השמש pro aut ad iudicem ponitur. Plura exempla congestit NOLDIUS in Concordantiis voc. ׀, mom. 10 & 63.

rum imploraret, videtur, non בוך אלתי, sed definitius בוך ירה, aut אל שיי, aut אלתך, aut his simile quid, dicere debuisse.

Nosiram igitur qualemcunque interpretationem ut jam proponamus, SCHULTENSIO quidem non valde adversamur, monenti, *injuriam nos facturos mulieri, si ex interiore sensu animi ejus verba profecta statueremus; sed vim aestuantem dolorum eam expressisse, & tamquam spumam, ex corde bulliente, eiecisse.* E nostro hinc sensu uxor, non impia quidem, neque indignatione in Jobum accensa, sed eum, ut par erat, vehementer amans, & ejus doloribus acriter commota, bonorum quoque & prolis jacturæ ipsa cum eo particeps, uno fere casu e summo gaudiorum & voluptatum fastigio in imam calamitatum veluti voraginem delapsa, alias forsan sapientior & meliora edocta, jam ingenti animi angore & desperatione (cui proxima saltem erat) veluti perturbata, mortem infelici isti, omni jucunditatis genere orbatæ, vitæ & viro & sibi præstare significavit. Videtur quoque eadem servasse opinionem, ætatis suæ vulgarem, qua fausta quævis & bona pro Dei in assiduos suos cultores favoris documentis, infausta ac tristia pro signis divinæ iræ habebantur, & quoniam in vita consistere videbatur summa felicitas, ætatem longam iis, quos diligebant, dare, morti eos quos oderant, certe non amabant, aut qui cultum sibi non præsti-

terant, tradere, dii putabantur. Pariter cance vetustatis more, Deum fere non esse colendam, nisi ut beneficia singularia & eximia ab ipso obtinerentur, vel ut ejus ira averteretur, existimasse forsitan censenda est. Quæ igitur æqualium suorum placita amplectens, cum ei persuasum esset ultimum fatum maritum brevi subiturum (n), alium pietatis suæ continuandæ fructum ei non superesse sperandum opinata, quam ut ipsi forsitan liceret (si vel maxime sibi esset Numen propitium) miseram vitam per aliquod temporis spatium degere, hunc igitur spernendum censens, virum non ridens, nec ei irata, sed dolens vices simul ejus & suas, quibus perferendis impari se sentiebat, *integritati tuæ* (pristino ad Dei voluntatem te componendi studio) *adhuc inhæres?* Jobum alloquebatur; *noli vitam exoptare, qua frui ipsa morte est atrocius! mitte pietatis tuam curam, ne afflicti diu vivere cogamur. Desiste a Deo cultu prosequendo, ab eo frustra orando; verum id jam in votis maxime erit tibi, ut cito (& una tecum mihi) mori tibi contingat.*

Quæ ad hunc loci nostri sensum comprobandum pertineant, maximam partem cuivis, supra monita consideranti, sunt in promptu. Vocabulum מוֹתָא
a no-

(n) Etenim maxime lethalis fuit morbus quo laboravit Jobus, cfr. ÖDMANN *Saml.* 1 Fl. ed. alt. p. 90.

a nobis *ut moriaris* veti, neminem offensurum speramus; nam frequens is est particulæ ꝛ usus, ut indicet finem, in quem agens tendat (o). Et alibi quoque imperativus, præfixa (quam dicunt) copula, vim habet futuri, latine exprimendum per sub-junctivum cum part. *ut* (p).

Ceterum in propatulo est, explicatione nostra assumpta, feminæ orationem arcte cum iis, quæ eam præcedunt & quæ sequuntur, cohærere. Nam ante narratur, mala varia in Jobum immissa fuisse, ut cognosceretur, utrum is, demta sibi ubere sua felicitate, esset in pietate mansurus, an minus? Apte igitur, & ut pateat quanta esset viri religio, & ut vividis veluti coloribus depicta ob lectorum oculos sistatur ejusdem cruciatuum imago, fingitur conjux, dolorum ejus & spectatrix & consors, eum ad Dei cultum, jamjam scil. sibi inutilem futurum, mittendum, & ad morti majus quam vitæ pretium statuendum, incitare studens. Ad quem mulieris sermonem refellendum directe spectant Jobi verba, quibus æquo animo ferenda, quæcunque a Deo pro-

(o) Vid, NOLDIUS *l. c* | *mom.* 72. Cfr. STORR *Obss. ad analog. & syntaxin Hebr.* pagg. 301 | 99.

(p) v. c. *Genes. XX: 7*, וַיֵּחַי, *ut vivas*; *XLII: 18*, וַיֵּחַי, *ut vivatis*.

proficiscantur, & pietatis in Deum studendum esse, five prosperis utamur, five adversis premamur, egregie monet. — Sed in his exponendis diutius versari nos domesticæ rei ratio imprimis vetat.
